



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraenesis De Eleemosyna

Alardus <Aemstelredamus>

[Köln], 1545

VD16 A 1250

Quamlibet ignotis & longe dissitis etiam subueniendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63012)

DE E L E E M O S Y N A.

fert, ita si quid contulerimus in pauperem, uereque indigentem, multo plus meritorum conferenti producturum est apud Dominum, cum in alteram uitam peruentum fuerit: quam si idē contulerimus in amicos & cognatos, siue alios quoscunque qui nullo modo indigent. Et hoc est, quod subiungitur. (Quia post tempora multa, inuenies illum) id est, mitte, inquam, panem super transeuntes aquas, quia non miseris frustra, ita ut pereat. Imo (post tempora multa) in fine rerum, ubi tempora omnia decursa fuerint, (inuenies illum) recipies ex eo mercedem, multo utique uberiolem, quam id erit quod largitus eras, & quam reciperes, si ipsum illud largitus fuisses in cognatos & amicos non indigentes. Cui consonat illud Christi, cum facis prandium aut cœnam, noli uocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque uicinos, neque diuites, ne quā & ipsi uicissim te inuitēt, ut fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuū uoca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non possunt retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Ex alio item: Quę sunt transeuntes illę aquę, nisi uilissimi quique, qui ita hic prætereunt, ut nulla ex eis ad nos reditura credamus commoda? En super illos potissimum sunt mittendi panes. Manent enim uere, & licet prætereire uideantur, in tempore tamen quo maxime necessarij comparent, ac coram iudice nos excusant, inque æterna recipiunt tabernacula.

*Quamlibet ignotis & longe diffitis etiam
subueniendum.*

DE ELEEMOSYNA.

Chrysoſtomus ad populum Antiochenum ho-
 milia triceſima ſeptima de eleemoſyna & mi-
 ſericordia, ad Corinthios pri. Et hæc Antio-
 thiæ, ubi primum appellati ſunt Chriſtiani, ubi fue-
 runt omnibus hominibus mitiores, ubi multis apud
 antiquos eleemoſynę fructus uigebat. Nec em̄ tm̄
 præſentibus, uerum & longinquis mittebant p̄ ma-
 gnum interuallum, & hæc cum fames expectare-
 tur. Gregorius 21. Moralium. Sunt nonnulli q̄ pie-
 tatis ſuę uiſcera tendere uſque ad incognitos neſci-
 unt, ſed ſolis quos per aſſiduitatem notiſſimę didice-
 rint miſerentur, apud quos nimirum familiaritas
 pluſquam natura ualet, dum quibuſdam neceſſaria,
 non quia homines ſunt, ſed quia noti, largiuntur.
 Vnde nunc per beatum Iob dicitur: Si deſpexi præ-
 tereuntem eo quod non habuerit indumētum. Igno-
 ro enim proximo miſertum ſe indicat, quem præte-
 reuntem uocat, quia utique apud piã mētẽ pluſ
 natura ualet quã notiſſimã. Nam ut unusquiſque q̄
 indiget eo ipſo quo homo eſt, ei iam incognitus nõ
 eſt. Chryſoſtomus ſuper epiſtolam ad Hebræos,
 homilia quadrageſima. Qui quidem amico benefa-
 cit, omnino non propter deum facit, qui uero igno-
 ro, hoc propter deum operatur, ne parcas ergo pe-
 cunijs, & ſi omnia oportet euacuare da. Eccleſiaſti-
 ci quarto: Fili eleemoſynam pauperis ne defraude-
 des, & oculos tuos ne tranſuertas à paupere. Ani-
 mam uero eſurientem ne deſpexeris, & ne exaſpe-
 res pauperem in inopia ſua. Congregationi paupe-
 rum affabilem te facito.